


eipium tertii, deinde ad literam, quæ est finis primi & principium secun-
 di. Deinde ad literam, quæ est principium primi gr. frigiditatis & siccita-
 tis, deinde ad literam, quæ est finis primi gradus frigiditatis & siccitatis
 & principium (ij. & iij.) Deinde ad literam, quæ est finis secundi & prin-
 cipium tertii. Deinde ad literam, quæ est finis quarti gradus frigiditatis
 & siccitatis. Iam ergo habemus ipsum mutatum à gradu quarto calidi-
 tatis & siccitatis ad gradum quartum frigiditatis & siccitatis. Iam ergo ti-
 bi monstraui tres modos in generali, mutando vnam naturam in aliam.
 Dicamus ergo nunc magis specialiter cum quantitate. Dicamus ergo,
 quod omne compositum vel est compositum æqualiter, ex quatuor ele-
 mentis siue quatuor naturis, vel inæqualiter. Si æqualiter, non laborabi-
 mus ad illius corruptionem. Illud autem similitudinem obtinebit do-
 mus quadratæ, cuius latera ad inuicem sunt æqualia, & hæc est eius figur-
 ra, quæ subsequitur.



Et quia illud est compositum ex quatuor elementis æqualiter, & et-
 iam ex quatuor naturis. Omne autem compositum ex elementis siue
 naturis æqualiter, dissolui impossibile est. Non ergo laborabimus ad eius
 compositionis alterationem. Si autem inæqualis extiterit compositio-
 nis, narrabimus modum sufficienter ipsum alterandi, donec non prædo-
 minantes prædominentur, & prædominantes minimè prædominentur.
 Ponamus ergo aliquid compositum, cuius compositio à prædominatio-
 ne sit frigiditatis & siccitatis; Sitque frigiditas sicut siccitas, & siccitas si-
 militer sicut frigiditas, & caliditas secundo, & humiditas etiam secundo.
 Obtinebit ergo similitudinem domus quadrangulæ, non tamen quadra-
 tæ, qualis est ista Figura.

Cum